

N. 13.



10

DE
T E M P O R E
QVO SCRIPTA FVERIT
EPISTOLA PAVLLI AD EBRAEOS
DEQVE EBRAEIS QVIBVS SCRIPSERIT
CONIECTVRA
AD ILLVSTRANDA QVAM PLVRIMA LOCA N. T.

EAM
SVB PRAESIDIO
VIRI SVMMÆ VENERANDI EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMI
IOANNIS AVGVSTI NOESSELT


SS. SCRIPTVRARVM DOCTORIS ET PROFESSORIS
PVBL. ORDIN.

FAVTOVIS AC PRAECEPTORIS
OMNI PIETATE AETERNVM COLENDI

AD D. II. AVGVSTI
PVBLICE AD DISPVTANDVM PROPONET
CHRISTIANVS FRIDERICVS ZASCHE
FREISTADJO - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
FORMIS HENDELIANIS. A. C. MDCCLXVIII.

9



PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO
LIBERO BARONI DE DYHERR,
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CONSILIIS PROVINCIALIBVS ET CAMERALIBVS
IN TERRITORIO FREISTADIANO,
DOMINO HAEREDITARIO IN PAGIS SVPERIORI
MEDIO AC INFIMO HERTZOGSWALDAV &c.

MAECENATI SVO GRATIOSISSIMO.

V I R O

SVMME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO
SAMVEL GOTTL. GEISLER,

ECCLESIARVM ET SCHOLARVM A. C.
IN CIRCVLIS FREISTADIENSI ET SPROTTAVIENSI
INSPECTORI VIGILANTISSIMO, PASTORI PRIM. AD VINEAM IESV,
QVAE EST FREISTADII, OPTIME MERITO,
ET LYCEI QVOD IBI FLORET INSPECTORI SPECTATISSIMO.

V I R O

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE
SAMVEL GOTTL. SCHREIBER,

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO LONGE CELEBERRIMO,
VRBIS ET TERRAE FREISTADIANAE
PHYSICO ORDINARIO ET FELICISSIMO
ATQVE LYCEI QVOD FREISTADII FLORET
SCHOLARCHAE GRAVISSIMO.

PATRONIS ET FAVORIBVS

OMNI PIETATE COLENDIS,

PRO

TOT TANTISQVE IN IPSVM COLLATIS

GRATIAE AC FAVORIS DOCUMENTIS

HVNC LIBELLVM

CEV

INTEGERRIMAE PIETATIS ET GRATITVDINIS

MONVMENTVM

SACRVM ESSE VVLT

TANTORVM NOMINVM.

SVMISSVS ET OBSERVANTISSIMVS CVLTOR

CHRISTIANVS FRIDERICVS ZASCHE.



§. I.

Popularis sententia est eaque magno interpretum consensu probata: epistolam ad Ebraeos a Paulo Apostolo scriptam esse tempore eo, quo primum Romae teneretur in vinculis vel ex illis dimissus in Italia versaretur. Qui cum vidissent Paullum in hac epistola mentionem facere vinculorum (cap. X, 34), quibus etiam sunt qui putent liberatum Timotheum dici (c. XIII, 23): non dubitarunt Romana Paulli vincula intelligi, propter ea quod & ea Paullinis in scriptis maxime frequentata reperiuntur & Apostolus ipse (c. XIII, 25) Italicorum nomine salutat. Quibus vinculis solutus cum Paullus speret se quam primum Ebraeos visurum (c. XIII, 23), qua spe se tum interclusum animaduertat cum Romae in vincula secundum fuisset coniectus: ea, quam volunt obtinere, sententia iis prope a certitudine abesse videtur.

§. II.

Atqui ego, in ea causa si forte illi non satis accurate rationes subduxerint, hunc errorem tolerandum putarem, nisi hoc semel

A

mel

meli admisso errore & Paulli historia & ipsa istius epistolae intelligentia perturbaretur. Nam quaecunque de vita & rebus a Paulo post priora Romana vincula gestis, de professione eius siue Hierosolymitana, siue Asiatica ac Graeca, & vero etiam Hispanica atque Britannica narrantur, vel ducuntur ab ista sententia vel certe per eam defenduntur. Enimvero & ipsae res Paulli eorumque quibus scribebat, omninoque quidquid ex istius temporis historia pertinet ad eam epistolam intelligendam, id igitur omne his, quae sumta erant, accommodatur; qua re fit, ut, si ea frustra sumuntur, ipsa interpretatio epistolae multis in locis a veritate abhorreat. Nemo, ut hoc utar, obscuram aduersitatum significationem c. X, 33. 34. traxisset ad Iacobi Apostoli aliorumque Christianorum caedem a IOSEPHO. (Antiq. XX, 9. 1.) commemoratam, nec MIELIVS (prolegom. §. 84) in ἡγεμένοις, quorum vitae exitum Paullus (Ebr. XIII, 7) iubet ab Ebraeis attente considerari, eandem rem vidisset, nisi haec epistola coniecta esset in tempus, quod illam caedem sequebatur. Taceo reliqua quae, labefactata ista opinione & confirmato vero tempore scriptae huius epistolae, sua sponte corruent. Aequum est igitur, ut hoc, quod plerique interpretes in illo tempore definiendo sumunt, paullo diligentius examinetur, praesertim cum in tanta obscuritate historiae Paullinae, quae magnam tamen habet vim ad eius epistolas intelligendas, aut in tanta paupertate documentorum, quibus res Paulli & Ecclesiarum Apostolicarum illustrentur, nihil debeat minutum aut diligentia nostra indignum videri, nec dubitandum sit hac re illustrata ipsis etiam diuinis N. T. libris lucis aliquid afferri.

§. III.

Sunt autem in illa populari sententia, aut in argumentis potius, quibus ea continetur, omnia non dicam falsa sed incerta tamen. Scripsisse aiunt Paulum in vinculis, aut paullo post cum esset e carceze dimissus. Audio, atque etiam dabo: in loco Ebr.

X, 43. non esse legendum: τοῖς δεσμῶς μου (captiuis meis), quamquam eam lectionem tueantur maximae auctoritatis codices, qua lectione admitta frangeretur vis omnis sententiae eius quam examinamus, sed τοῖς δεσμῶς μου (vinculis meis). At nulla necessitas cogit intelligere vincula Paulli Romana, sed Philippensia Act. XVI, 23 sq. aut Hierosolymitana Act. XXII, 30, aut Caesarensia Act. XXIII, 27, aut alia forte 2 Cor. XI, 23, quorum mentionem perspicuam non faciunt veteris historiae Christianae monumenta. Nam quod ex Italia Paullum scripsisse confirmant, id statim demonstrabimus incertum esse; et ad Timotheum quod prouocant ἀπολελυμένον (Ebr. XIII, 23), in illo verbo non magis certum est inesse aliquam vinculorum significationem, vt postea docebitur. Iam de Italia, huius epistolae patria, nihil me quidem mouet auctoritas ἐπιγραφῆς quae est epistolae subiecta, quam etsi non ignoro esse qui tamquam ab ipso Paulo profectam defendant, tamen nihil agunt, nisi vt eam nihil absurdi continere demonstrant, quod quidem ad persuadendam illam auctoritatem nihil omnino facit. Atqui similitudo huius subscriptae formulae cum ceteris, quae Paulli epistolis subiectae leguntur, oppido falsis et nouitiis, certe casu magis aliquo quam vi sua veris, nostram suspectam reddere debebat. Et quamquam non utar argumento THEODORI BEZAE (not. in h. epist. extrem.): subiici solere epistolis non ex qua regione, sed ex qua vrbe potius scriptae sint: tamen perspicuum est: τὸς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, quorum nomine salutat Paullus, (c. XIII, 24), occasionem huic commento dedisse. Qui quidem possunt esse Itali, Italiae incolae, quamquam Paullinum magis foret: οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, vt 2 Tim. I, 15 οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ; sed aequae sic dici poterant ii, qui venerant ex Italia, vt Matth. 15, 1, et Marc. VII, 4 οἱ ἀπὸ ἀγορῶς nempe ἐλθόντες ἰ. γενόμενοι, in primisque Act. XVIII, 2, vbi sunt ἑλληλυθότες ἀπὸ τῆς Ἰταλίας; quo sumto potius sequeretur: extra Italiam haec Paullum scripsisse. Neque vero magis certum est quod addere solent: cum Paullus in hac epistola
A 2
spem

spem fecerit ad Ebraeos e carcere redeundi, quae nulla fuerit cum Romae secundum captiuus teneretur, epistolam ei tempore tribuendam esse, quo primum Paullus fuerat in vincula Romana coniectus. Namque, ut praetermittam postrema ista Paulli vincula forte commenticia esse argumentisque non contemnendis a viris doctis repudiata (v. MOSHE MII *Explicat. vtriusque epist. Paulli ad Timoth.* p. 609 sq. et OEDERI *Animaduersiones SS.* p. 607 sq.), nihil cogi hoc argumento potest propter ea, quod paullo ante demonstraui-
mus alia aequè intelligi vincula posse, in quibus Apostolus hanc epistolam perscripserit, cum satis constet eum saepius eandem fortunam subiisse.

§. III.

Iam si verum esset: Paillum nostram ad Ebraeos epistolam vel Romae vel in Italia edidisse: quo modo id potest intelligi: quod neque antiquissima Romana neque alia, quae ab illa N. T. canonem acceperat, Ecclesia, Paulli hanc esse epistolam agnouerit; id quod nuper admodum doctissime demonstraui SEMLERVS V. V. (*Beytraege zu genauere Einsicht d. Briefs an die Hebr.* p. 17. 20-34) atque, ut mihi videtur, accurate refutauit eos, qui a Nouatiani aetate demum suspectam hanc auctoritatem esse coepisse comminiscuntur. Quod si vero nec ea omnia, quibus vsi sumus in labefactanda populari de tempore scriptae huius epistolae sententia, tanti essent quanti nobis videntur: aequum est tamen atque magis consentaneum videre: sitne in iis, quae Lucas in Actis Apostolorum narrauit, perspicua aut certe probabilis huius rei significatio, qua ducti hanc epistolam alii ante vincula Paulli Romana tempore tribueremus? Quae si reperiri potest, quid causae foret, cur non malle Lucam auctoritatem sequi, quam coniecturas de rebus Paulli post illa Romana vincula, quae quales fuerint, ipsa historia tacente, nemo dixerit?

§. V.

§. V.

Circumspicienti igitur mihi in Lucae commentariis quid ad hanc causam illustrandam reperiretur, plura satis perspicua occurrerunt, quibus adiutus spero me rectius originem huius epistolae omninoque quam plurima ad intelligentiam illius aliorumque locorum N. T. constituturum. Quae quidem examinent qui possunt; mihi certe satis fuerit aliquid ad N. T. subtiliorem interpretationem tentasse atque hoc exemplo probasse: quantum curiosa etiam minutarum in scriptis diuinis rerum animaduersio et locorum similibus comparatio faciat ad accuratiorem librorum caelestium interpretationem. In qua vniuersa disputatione mihi licebit sumere id quod multi docuerunt atque postea ipsa disputatione nostra confirmabitur: Paullum Apostolum auctorem huius esse ad Ebraeos epistolae, atque hoc sumto ita rationes subducere. Si ea, quae illi epistolae impressa sunt, quasi vestigia temporis omnia reperiri in Lucae actis possunt, existit admodum perspicua et, ut ita dicam, authentica significatio temporis quo Paullus ad Ebraeos scripserit; quae nec commenticia dici potest, neque enim fortuito credibile est omnia ita accurate consentire, et certior est incertis istis, quas supra confutauimus, coniecturis. Quod si per haec ipsa intelligeretur: quinam sint Ebraei, quibus Paullus scripserit, in eosque caderent ea, quae in ista epistola de lectoribus suis dixit, vniuersa: longe etiam esset ad veritatem propensius id quod de tempore statuimus, propter ea quod ita omnes res Ebraeorum huic epistolae inspersae intelligi possunt, nec opus est ad eas declarandas commentis; praesertim si ea, quae diximus, aliis etiam argumentis confirmari possent. Atque ita disputationem aggrediemur, in qua speramus aequos nos habituros esse lectores, qui, seuncta omni causa popularis de ea re sententiae, omnem argumentorum nostrorum vim coniungant atque cogitent: in causae obscuritate minuta etiam inter se connexa et copulata magnam vim ad persuadendum habere debere.

§. VI.

§. VI.

Ac primum vtemur eodem, quo alii, iure, vt in requirenda huius epistolae aetate duces sequamur *τὰς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας* (Ebr. XIII, 25); quales perspicue commemorat Lucas Act. XVIII, 2, cum Aquilam dicat *προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας* cum Priscilla coniuge. Quam Lucae significationem hoc magis obseruandam putamus, quod alias saepe Paullus Aquilae in primis nomine Ecclesias salutat 1 Cor. XVI, 16. Rom. XVI, 4. 2 Tim. IV, 19. Estque talis Aquilae ceterorumque exulum Romanorum commemoratio in primis consentanea consilio Paulli in epistola ad Ebraeos, qui multorum sanctorum in rebus aduersis constantia animos confirmat Ebraeorum (Ebr. XI. XII, 1.). Quod si quis ita occurrat, vt Aquilam cum Priscilla neget Ebraeis nostris cognitum fuisse, non animaduertit: saepe numero salutare Paullum Ecclesias ab iis, qui numquam ibi fuerant, vt Rom. XVI, 21. Romanos a Timotheo et Luca, quos longe post quam scripserat epistolam ad Romanos Romanam venisse ipsi Lucae commentarii docent. Neque incredibile est quosdam de Iudaeis Roma expulsis, vt Corinthum, ita et in vicinam Macedoniam confugisse (in cuius Ecclesiis Ebraeos nostros quaerendos esse postea intelligitur), qui quidem alios exules Corinthum se contulisse narrarent; praesertim cum Philippis, Macedoniae vrbe, colonia esset Romana Act. XVI, 11. sub Augusto condita, quam vix dubitari potest cum Roma, matre sua, litterarum commercium habuisse. Nam quo magis confugerent Iudaei, quam ad loca ea, in quibus et magna copia Iudaeorum esset et facultas sacra publica celebrandi? sed in Macedonia vix erat aliqua celebrior vrbs, quin ibi et sacra et synagogae Iudaeis concederentur, vt Philippis Act. XVI, 13, vt Thessalonicae cap. XVII, 1, vt Beroeae, v. 10. Atque istos exules, si quidem de Macedonia Christianis res suas narrauere, valde consentaneum est illis, quid Aquila factum fuerit ac Priscilla, commemorasse, propter ea quod ille videtur celebrem Romae scholam habuisse, in qua Iudaeos accuratius insti-

institueret. Namque subtiliter tenebat religionem (Act. XVIII, 26), ut qui & Apollonium, virum doctissimum eundemque clarissimum interpretem (v. 24) & ipsos Iudaeos (v. 19) accuratius docere posset, atque Romae, Ephesi, forte etiam alibi, habebat τὴν κατ' οἶκον ἐκκλησίαν. 1 Cor. XVI, 19. Rom. XVI, 4; quam de schola interpretamur generis eius, quod Iudaei appellant בית מדרשו f. בית רבנן, a VITRINGA (de Synagog. vetere l. I. P. I. c. 5 & 6) copiosius declaratum, quamquam de ea istius generis schola potius intelligendum videtur quae Iudaeis dicitur בית מדרש של יהודי h. e. schola hominis privati, in qua doctor priuatus de quaestionibus sibi super lege diuina propositis respondebat discendique cupidos instituebat accuratius. (*).

§. VII.

(*) Hanc interpretationem quodam modo praefuit IO. LIGHTFOOTVS hor. hebr. ad 1 Cor. XVI, 19. Opp. T. II. p. 926 sq. sed de schola publica magis quam priuata cogitasse videtur. Rectius ZELTNERVS in disp. de Priscilla Aquilae uxore §. XV. XVI. qui affert loca e scriptis Iudaeis, per quae dubitari vix potest, illud institutum magistrorum domi alios docendi apud Iudaeos viguisse. Nec video, quid ipsum hoc ἢ κατ' οἶκον διδασκαλίαν τινος ἐκκλησίαν impediatur quo minus eam interpretemur de Christianis in magistrorum alicuius domo coeuentibus. Certe et ἐκκλησία de quouis conuentu dicitur, et non nisi de magistrorum aedibus loquitur Paulus vbicunque locorum Rom. XVI, 3. 1 Cor. 16, 19. Col. IV, 15. Philem, 2. Ceterae quidem interpretationes non placent. Nam illa, quae de familia formulam istam intelligit, iam pridem explosa est sententia, cum Paulus eam dicat τὴν οἰκίαν f. οἶκόν τινος 1 Cor. 6, 15. 1, 16. f. τὸς ἐν τῶν τῶ θεῶν, non: κατ' οἶκόν τινος ἐκκλησίαν. Neque de vniuersa alicuius vrbis Ecclesia in vnam domum coeunte acceperim, a qua τ. κ. οἶκ. ἐκκλ. Paulus perspicue distinguit, vt 1 Cor. XVI, 19. 20. & ad Coloss. IV. At eorum, qui coetum priuato Dei cultu coniunctum in hac formula vident, sententiae cur non assentiar, in causa est id, quod in quavis vrbe non nisi vnam talem conuentionem commemorat Apostolus, quam in ea vrbe vix credibile est alios conueniendo non imitaturus fuisse. Vnam autem talem singulis in vrbus fuisse, loca e Pauli epistolis ducta docent. Neque in illis ad Colossenses et Philemonem epistolis binae Colossis tales conuentus asserantur. Nam vt concedam Philemonem Colossis fuisse, propter ea quod Paulus Onesimum, eius seruum, ait, e Colossensibus fuisse Col. IV, 9. et Archippum, Philemoni adiunctum, Colossensium doctorem, v. 17. Nymphae tamen domesticus coetus non, vt putant, Colossis erat, sed Laodiceae, ad cuius Ecclesiam ipse Paulus epistolam ad Colossenses destinauerat (v. 16), mentionemque Laodiceanae Ecclesiae Nymphaeique coetus perspicue coniunxerat v. 15.

§. VII.

Alteram significationem temporis scriptae huius epistolae Apostolus dat commemorando Timotheum ἀπολελυμένον, quocum, ut subito redierit, se Ebraeos visurum pollicetur (c. XIII, 23). Hic ambiguum dicunt esse quo modo Timotheus dicatur ἀπολελυμένος. Ac plerique, quorum in animis infixata erat cogitatio vinculorum Romanorum, non dubitant Timotheum dimissum esse custodia dici; ceteri eum a Paulo Euangelii aut quacunque alia de causa missum agnoscunt, VI EUTHALIVS (*) & alii in MICHAELIS V. Cel. interpretatione Epistolae nostrae ad illum locum, non repugnante ipso verbo, cui notio dimittendi omninoque proficiscendi subiecta est. Sed vtra interpretatio verior, cuique temporis Timothei dimissio tribuenda sit, quaeramus in sectione Actorum Apostolicorum ea, ad quam superiore significatione deferebamur. Nempe in isto cap. XVIII. Actorum Lucas Timotheum narrat (v. 5) reuersum e Macedonia esse Corinthum, vbi tum versabatur Paullus; quare Timotheus, qui fuerat paulo ante Apostoli in itinere comes, profectus esse facile intelligitur. Vnde igitur? Hoc docet Paullus in priore ad Thessalonicenses epistola c. III, 1 seq. quam omnes consentunt scriptam eo fere tempore, quod Lucas Act. XVII f. XVIII indicat. Nempe ibi: *Nobis, inquit, vestri desiderium non ferentibus diutius visum est solis haerere Athenis, ac misimus Timotheum — — ad vos confirmandos deque fide vestra admonendos, ne quisquam commoueatur his aduersitatibus &c.* Cum illa Paulli narratione conferamus quae Lucas refert de Paulli Timotheique rebus inde

ab

(*) In editione Epistolarum Paulli in ZACAGNII *Collectaneis monument. vet.* p. 671; (si quidem EUTHALIO tribuendum est illud argumentum Epistolae ad Ebraeos, de qua re video dubitare ZACAGNIUM in praef. §. L.) vbi post verba ex Ebr. XIII, 23 allata addit: *ἑδεις γὰρ ἂν, οἴμι, ἀπέλυσεν Εἰς ΔΙΑΚΟΝΙΑΝ Τιμόθεον, εἰ μὴ Πάυλος κ. τ. εἴ.* OECUMENIVS ET THEOPHYLACTVS, quorum vel verba consentiunt, quique CHRYSOSTOMVM sequuntur, vtramque interpretationem afferunt. Nec THEODORETVS in h. l. verbis vidit Timothei vincula sed Timotheum nuncium qui hanc epistolam ad Ebraeos deferret.

ab isto tempore quo hic ab illo profectus fuerat ad id quo rediit ad Paullum Athenis, ad Corinthios profectum. Atqui Timotheum Paullus, post discessionem, a Thessalonicensibus, reliquerat Beroeae (Act. XVII, 14) veneratque ipse Athenas mandataque dederat vt Timotheus cum Sila quam ocissime se sequerentur (v. 15). Quare, cum tamen Timotheus non prius reuersus fuerit ad Paullum quam tum, cum Paullus se Athenis Corinthum contulisset (Act. XVIII, 5): cogitur per ea quae ex epistola priore ad Thessalonicenses descripsimus: Paullum, cum Athenis esset, alia Timotheo mandata perscripsisse, vt Beroea Thessalonicam, ad Christianos istius vrbs confirmandos, reuerteretur. Hac obseruatione duo aperiuntur; primum: cur Timotheus, secus quam pauli mandata ferebant, non Athenas secutus sit eum, nouis enim mandatis Paullus priora sustulerat; alterum: quo modo Paullus potuerit ad Ebraeos, si quidem illi Christiani Macedones sunt, scribere (Ebr. XIII, 23): Γνώσκετε Τιμόθεον ἐπορευμένον, scitis (non: scitote) Timotheum profectum, nam is Beroea, vna Macedoniae vrbe, ad alteram, Thessalonicam, venerat, quocum, vt subito redierit, videbo vos, plane vt 1 Thess. II, 18 proficitur: se semel atque iterum proficisci ad Thessalonicenses voluisse, sed impeditum esse.

§. VIII.

Sed erunt forte qui dicant: ipsa illa Pauli narratione 1 Thess. III. conuinci me erroris posse. Namque ibi v. 6. planissime dicit Paullus Timotheum ad se a Thessalonicensibus reuersum. Atqui epistolas ad Thessalonicenses, priorem certe, dicent perscriptas esse prius quam illam ad Ebraeos scripserit; hanc igitur cum scriberet, non potuisse Paullum dicere: Timotheum adhuc dum inter Thessalonicenses versari. Ego vero etsi non ignoro plerosque credere: primam ad Thessalonicenses epistolam primam quoque inter omnes Pauli epistolas esse: tamen, cur illud sumant? equidem

dem cupio discere. Sed video illud animos impulisse in eam sententiam, quod formula his epistolis subscripta tradit Paullum Athenis utramque scripsisse (*). Quae tota falsa est erroremque duxit, ut recte MILLIVS vidit, e cap. III, 1, in quo Paullus se ait solum relictum Athenis fuisse; quasi non idem potuerit scribere etiam alibi quam Athenis ipsis, de re nuper admodum facta! Quod si Athenis ista scripsisset, non dicam eum τὸ Ἰδε positurum aut adiecturum τὸ ἐν Ἀθήναις fuisse; sed tamen perspicue tradit Lucas Act. XVIII, 5: Silam & Timotheum ad Apostolum Corinthum rediisse e Macedonia, nec vno verbo significat eos prius esse e Macedonia, ubi manserant ante Atticam Paulli profectionem (Act. XVII, 14. 15), reuersos. Etenim quod cum aliis fingit LVDOVICVS CAPPELLVS (*Histor. Apostol.* Ed. Salmur. p. 18. 64 & 65): Timotheum e Macedonia Athenas ad Paullum venisse, ab eoque inde ad Thessalonicenses missum, Corinthum postea repetiisse, prorsus est commenticium; neque Lucas, cum dicit Corinthum rediisse Timotheum e Macedonia, secus potest intelligi, quam quod nunc demum ex illa prouincia, postquam ibi relictus fuerat, redierit. Et quanquam CAPPELLVS ita intercedit, ut Paullum contendat i Thess. III, 1 seq. confirmare: quod Timotheum Athenis Thessalonicam ablegauerit, ista tamen Paulli verba id nullo modo declarant. *Misimus*, inquit, *Timotheum*; non addit: *Athenis*; neque illud *misimus* desinit: coramne ei mandata dederit ad proficiscendum an per literas Bereoam scriptas? Ac dum commemorat: *sibi visum esse ut SOLVS maneret s. relinqueretur Athenis*: nonne id potuit planissime scribere in hanc sententiam, ut *solus* ibi relictus fuerit propter ea, quod secundum Act. XVII,

16,

(*) Consentit praeter alios Euthalius l. c. p. 547 & 656; quod hoc magis miror, cum in postremo loco p. 657 dicat Paullum priorem epistolam edidisse postea quam multa aduersa tulerit etiam Corinthi, ad quam verbum non venit Paullus nisi relictis Athenis, neque post, quantum constat, Athenas reuersus est ut ibi illam epistolam scribere potuisset.

16, ibi Timotheum, sed frustra, expectauerat? Quae cum ita
 sint: non dubitemus: epistolas ad Thessalonicenses demum post
 profectiorem Pauli Corinthiacam exaratas esse cum rediisset Si-
 las & Timotheus, quorum ipsa nomina suo Paullus in vtraque
 epistola adposuit. Quare, si verum est id, quod quidem pleri-
 que arbitrantur: vtramque epistolam inter omnes Paullinas pri-
 mam esse, (quamquam illam ad Ebraeos, per ea quae dicta sunt,
 exceperim): sequitur: epistolam ad Christianos ex Ebraeis tem-
 pore omnes Pauli reliquas anteire.

§. VIII.

Hac in epistola Paullus Ebraeos quidem in primis laudat ab
 eo quod quasi in societatem vinculorum suorum condolendo vene-
 rint (Ebr. X, 34); quae est tertia quasi anfa quam ad acetatem huius
 epistolae definiendam teneamus, quam quidem concedent ii qui
 Paullum hic vinculorum suorum mentionem fecisse arbitrantur.
 Enimuero cum cetera quae ex epistola nostra cum Lucae com-
 mentariis contulimus inciderent in tempus Act. XVIII. commemo-
 ratum: quae sint ista vincula Pauli facile est ad reperiendum.
 Neque enim antea alibi in custodiam traditus erat nisi Philippis
 Act. XVI, 24. 26; vnde Paullus statim Thessalonicam venerat
 (Act. XVII, 1); qua opportunitate illi istam Pauli atque Silae for-
 tunam & discere poterant & misericordia profsequi. Quod quidem
 ab iis factum ipse Paullus confirmat dum non modo dicit i Thess.
 II, 2: se Philippis, ante quam ad Thessalonicenses venisset, ad-
 uersa sustinuisse & contumelias, *unōs eide, ut vobis constat,*
 sed etiam eos similes Apostoli & Christi ipsius factos non auersan-
 do aduersitatis plurimum (c. I, 6); in qua malorum similitudine
 dubitari non potest eos cum Paulo doluisse. Atque vt in illa epi-
 stola vtrumque coniungit, & ipsas Thessalonicensium aduersitates
 propter Euangelium & dolorum societatem, ita in isto ad Ebraeos

loco vtrumque collandat quod partim ἀνειδισμοῖς τε καὶ θλίψεσι
θεατρικίζόμενοι, partim κωνανοὶ τῶν ἔπος ἀναστρεφόμενων fuerint.

§. X.

Neque vero hic praetermittere licet difficultatem non par-
uam, quam video huic argumento obiici posse. Anceps est nec,
vt mihi quidem videtur, satis ad liquidum perducta lectio ea,
quam hoc in argumento sumimus. Namque etsi plerique codi-
ces in illo ad Ebraeos loco habent: ΤΟΙΣ ΔΕΣΜΟΙΣ ΜΟΥ συ-
νεπαθήσατε, tamen sunt alii profecto non contemnendi codices,
Alexandrinus, Claromontanus a prima manu, Stephani 5 & 6 cum
Roei secundo, itemque graeci interpretes non pauci, qui exhi-
beant ΤΟΙΣ ΔΕΣΜΙΟΙΣ, *captiuis*, quam lectionem exprimit Vul-
gata, vtraque Syra, Coptica, Arabica Erpenii, probantibus ma-
gnis viris GROTIUS, WHITBYO, BENGLIO, WETSTE-
NIO (ad h. l.) atque SEMLERO V. V. (in *praeparat. Hermeneu-
tic.* P. IV. p. 153). Neque ego is sum qui velim tamquam in-
dex sedere inter tantas vtrinque auctoritates, sed tamen tamquam
vnus e multis dicam quid mihi videatur. Facilis, fateor, est vtrin-
que sensus; vtrinque etiam formula non abhorrens a Paulli loquen-
di vsu, nam illam superiorem lectionem confirmet locus Col. III,
18: *μημονένετέ με τῶν δεσμῶν*, vicissim hanc: *τοῖς δεσμοῖς* non modo
contextus fere orationis Paullinae sed etiam locus alius Ebr. XIII,
3: *μεμνήσκεθε τῶν δεσμῶν*. Codicum, versionum interpretumque
veterum auctoritas vix quidquam definiat; est enim vtrinque pae-
ne par; certe multitudini, vt nulla in re alia, non cesserim. In
hac tam ancipiti causa duo succurrunt quae videantur difficili caus-
sae aliquid luminis afferre. Primum ORIGENES *exhort. ad mar-
tyr.* §. 44. (Ed. Ruæi Tom. II. p. 303.) offert simpliciter: ΤΟΙΣ
ΔΕΣΜΟΙΣ *vinculis* (non *δεσμοῖς* vt narrat WETSTENIUS).
Deinde interpretatio latina graeco textui in codd. Claromontano &
Sangermanensi adposita, quam SABATERIUS edidit, habet: *vin-
culis*

culis EORVM consensistis. Quare videtur, nisi fallor, colligi posse: Paullum scripsisse ΤΟΙΣ ΔΕΣΜΟΙΣ *συνεπαθήσατε* (*), nullo alio adiecto verbo; quod cum obscurius esset dictum, fuerunt qui perspicuitatis causa adiiicerent: *μὲ*, *vinculis meis*, alii: *αὐτῶν* (vt est in illo vtroque graeco latino codice) h. c. *τῶν ἔτιος ἀναστρεφόμενων*, alii, quibus *το: δεσμοῖς* vitiosum videbatur, substituerent *δεσμῶν*, *vinctis*, inuitante contextu & loco simili e cap. XIII. Certe, si omnes consentiunt, qui aliquid in hoc genere vident: veram lectionem esse eam, quae obscurior sit quaeue occasionem aliis dederit ita, vt, quomodo natae sint, doceri probabiliter possit, vix videtur dubitari posse quin ita ista causa constituenda sit. Quid ergo est? Ceciderimne causa, qui in illo loco dicerem Paullum Ebraeos a communione doloris propter Apostoli vincula laudasse? Non arbitror. Nam qui *δεσμοῖς μὲ* legerint, mihi quidem consentiunt; qui *δεσμῶν* aut, quod verius puto, *δεσμοῖς*, non negabunt tamen Paullum praecipue sua vincula significasse, praefertim cum Philippis plures, Paullus & Silas, in vincula fuissent coniecti.

§. XI.

Iam colligamus quae e commemoratis Paulli Lucaeque significationibus sequuntur. Sunt autem haec fere. *Primum*: Paullum epistolam ad Ebraeos scripsisse Corinthi. *Alterum*: paullo post cum Aquila ceterique exules Roma per Claudium expulsi, eo venerant; quod quo anno contigerit, non lubet copiosius excutere. Videri potest OEDERVS (*Obss. SS, Syntagm.* p. 551-558)

B 3.

qui

(*) Si quis forte contra dixerit vsus eodem, quo WETSTENIVS contra lectionem: *τ. δεσμοῖς μὲ*, argumento: dici non posse ita, nihil enim hoc esse: *vinculis meis compassi fuistis*: hoc paullo durius dictum esse fateor, sed a Paulli consuetudine minime alienum, vt qui talia frequentat. Certe non est insolentius dictum quam illud Paullinum 2 Tim. I, 16: *τὴν ἀλυσὶν μὲ ἐν ἐπησχύνθη*, *catenae meae cum non puduit pro: mei, qui vinctus fueram.*

qui anno Claudii X, PEARSONIVS (*Annal. Paulin.* p. 13. 14.) qui A. C. LII. Claudii XII., & SAM. BASNAGIVS (*Annal. Polit. Eccl.*) qui A. C. LI., Claudii XI. eam eiectionem tribuit. *Tertium*: ante quam Timotheus Corinthum venisset. Addimus *quartum*: paullo post cum Paullus eo se contulisset; quod & Lucas prodere videtur, qui Aquilae aduentum in principio narrationis de Paulli vita Corinthiaca ponit, & cur ita sentiam postea intelligetur. *Quintum*: ad Christianos in Macedonia Iudaicos, in primis que ad Thessalonicenses. Nunc videamus an, quae Paulus de Ebraeis suis dixerit, cadant in illos, quales quidem fuerint tempore eo quo Paullus ad Ebraeos scripsit.

§. XII.

Hanc epistolam satis constat ad Christianos e Iudaëis scriptam esse. Quod quidem vniuerso eius argumento atque disputandi modo, quo Paullus ibi vtitur, ductus crediderim, non inscriptionis, quae Ebraeos prae se fert, auctoritate. Namque eam inscriptionem ab ipso Paulo praefixam non magis ratione aliqua defenditur, quam si quis dixerit ceteros Apostolos epistolas suas, ut est in inscriptione, *catholicas* appellasse, aut Ioannem se in Apocalypseos inscriptione *Theologum*; quae Ecclesiastica nomina sunt, non Apostolica. Sed veteres inter Christianos scriptores, qui isto epistolae ad *Ebraeos* nomine utebantur, aequae potuerunt hoc nomen, ut reliquas inscriptiones, accommodare ipsi suae diserae siue laenti significationi ab ipsis scriptoribus sacris in ipsis his epistolis datae. Ac si vel dederim aptum hoc esse nomen Ebraeorum argumentoque ipsius epistolae satis accommodatum, id mihi vicissim iure meo postulo dari: veteres, cum eos, quibus destinata haec epistola erat, *Ebraeos* appellauerint, non intellexisse natos aut *ipso genere* Iudaëos, quatenus ii a profelytis Iudaicis disiunguntur, sed ita, ut Ebraei sint vniuersi Iudaei aut de Iudaëis Christiani, siue Israelitae sint siue profelyti, disiunganturque ab iis, qui de grege gen-

gentium non prius ad Iudaicam sed statim ad Christianam religionem transferint. Namque EVSEBIUS, ut hoc utar, (H. E. III, 4) Petrum primam epistolam *Ebraeis* scripsisse confirmat, quamquam ignorare non poterat Petrum ibi de suis lectoribus sic loqui, ut ii olim non fuerint de Dei gente (c. II, 10) & vero etiam participes nefandi cultus idolorum (c. IV, 4); quare, nisi Ebraeos dixerit de gentibus Christianos, id quod dici nullo modo potest, oportet ipsum hoc nomine Ebraeorum vel ipsos de gentibus profelytos cum propriis Iudaeis comprehendisse. Omnino ut *Ebraeorum* nomen religionem magis designat, quem ad modum *Iudaeorum* generis magis est ac gentis, id quod e PHILONE doctissime demonstravit Vir Venerabilis, IO. BEN. CARPZOVIVS (prolegom. ad *Exercit. in ep. ad Ebr.* p. 3sq.) & confirmari aliis quoque argumentis potest (*), ita Apostoli, cum scribunt ad Christianos ex Ebraeis, credibile est aequae ad illos scripsisse, qui prius inter Iudaeos Profelyti fuerant. Namque Paulus ipse in epistola ad Galatas, quam ad Christianos e Iudaeis scriptam esse nemo, quoad scio, praeter BELLOSOBRIUM (**), negat, c. III, 8 eos dicit *olim non cognoscentes Deum coluisse istos qui natura non essent Dii*. Quod etsi non ignoro explicari in hanc partem ut dicant, quoniam

(*) Ebraei e. c. ab Israelitis (quod nomen gentis est) discernuntur Phil. III, 5. 2 Cor. XI, 22. Iudaei *μη ἔθνηως ζῶντες ἀλλ' Ἰουδαίως* Gal. II, 12—14 distinguuntur a τοῖς ἔθνεσι, quo nomine illo in loco videntur Profelyti Iudaeorum intelligi; hos enim probauerat Petrus ad communionemque admiserat Act. XI, 3. coll. c. X, 2. 22. iique Act. XI, 19. 20. discernuntur a Iudaeis. Iudaei *πεπιστευότες* Act. XXI, 20 πάντες, omnes, dicuntur *ἠλωτοὶ τῆ νόμῳ*, quod de Profelytis dici non potest. Mitto alia.

(**) *remarques sur le N. T.* p. 446; qui solis Christianis de gentibus dicatam putat hanc epistolam, hac ratione usus: quod circumcisionem Galatis ibi seuerè interdixerit Paulus, id quod a Iudaeis nunquam postulauerit. Quod quidem, non diffiteor, ipse cum Paulus dicit 1 Cor. VII, 18: *Περὶ περιτομῆς τίς ἐκλήθη, μὴ ἐπιστάτω*. Veruntamen, Profelytis inter Iudaeos, qui non circumcisi erant ac postea ad Christianam accesserant Ecclesiam, us igitur eam potuit interdicare.

niam de Iudaeis ea dici non possent, *gentibus* haec scripta esse quarum ingens copia Christianis de Iudaeis esset admixta, eam tamen interpretationem non admittunt illa quae statim sequuntur v. 9. 10: *nunc autem* (loquitur profecto cum iisdem) *cognoscetes Deum aut potius per eum ad se cognoscendum adducti* (ita verterim. Causam reperias apud BEZAM ad I Cor. VIII, 3.), *quo modo ITERVM reuertimini ad infirma* (quae salutem non dant) *et miserabilia elementa* (σοφεία omnes rectissime de Iudaismo interpretantur) *quibus ITERVM seruire vultis? dies obseruatis, et menses et tempora et annos.* Quod, si quid video, non nisi in Profelytos cadere potest. His persuadere poterant doctores Iudaici alienam a vero Pauli Euangelio doctrinam, *gentibus* non item; hi argumenta Pauli plane Iudaica, etiam e Vet. Test. ducta, intelligere; his poterat etiam scribere, non de genere Iudaeis, Gal. V, 2: *si circumcisionem susceperitis, nihil vobis profuerit Christus*; hi fuerant, vt ait Paullus c. III, 23-25, sub lege tamquam sub Paedagogo; hi (c. III, 3 seq.) per Christum ab ista lege in libertatem vindicati; de his cum Petro, circumcisionis Apostolo, disputauerat Paullus, vt diximus in superiori obseruatione (ad h. §.). Itemque sunt qui velint Petrum Apostolum in vtraque epistola sua Christianis de *gentibus* scripsisse (vt IOH. HALLETVS in WOLFII *Curis* T. III. p. 822 sq. WETSTENIUS N. T. T. II. p. 68r. ad c. I, 2. atque etiam alii), quorum sententiam bene confutarunt viri docti, in his CRAMERVS V. V. diff. tertia in epist. ad Ebr. p. LVI sq. (*). Sed, vt alia mittam, *παρεπίδημοι διασπορῆς Πόντου κ. τ. λ.* non possunt esse gentes, sed Iudaei dispersi per Pontum &c. vt Iac. I, 1. & Io. VII, 35: *διασπορῆ τῶν*

(*) Addere placet hoc: Non de *gentibus* solis, sed de Iudaeis etiam dici, quod Petrus ait I Petr. I, 14, posse; vide e. c. Rom. VII, 5. 6. nec c. I, 18: *κατὰ τὴν ἀνατροπὴν πατροπαράδοτος*, nec argumenta quam plurima e V. T. citata, nec I Petr. I, 19. *ὁ πρῶτος λόγος βεβαιώτερος* (firmior factus per ipsum Christi aduentum), nec significatio subobscura imminen-

τῶν Ἑλλήνων, dispersi inter gentes s. prouincias eas, quas gentes tenebant (v. SALMASIVM in *Funere ling. Hellenisf.* p. 100 seqq. & Westenium ad l. c. Ioann.). Sed quorsum haec omnia? Nempe, cum epistolam ad Ebraeos scriptam profiteamur ad Christianos de Iudaeis, vt minime existimet aliquis: inter eos nullos intelligi Profelytos; cum per ea, quae dicta sunt, satis constet, & eorum in primis magnam vbique rationem habuisse Apostolos, & epistolas cum ad Iudaicos Christianos scriberent, in illis quam plurima posuisse quae maxime ad huius generis Iudaeos referrentur.

§. XIII.

Christianis de Macedonia in primisque Thessalonicensibus hic quasi primus character eorum ad quos Paullus nostram epistolam destinauit, facile asseri potest. In Macedonia quidem quam plurimi erant, vt alibi diximus, Iudaei; Thessalonicae celebris erat Iudaeorum synagoga (Act. XVII, 1) in qua cum Iudaeis e scripturis disputauerat Paullus, e quibus quosdam, sed τῶν σεβομένων Ἑλλήνων h. e. Profelytorum, & vero etiam feminarum honestarum s. primariarum non paruum numerum sibi ad Iesu Christi religionem suscipiendam conciliauerat (v. 4). Qui de deorum cultoribus nomina Christo dedissent, nullos commemorat Lucas; nam *primariae illae feminae* etiam e profelytis videntur fuisse, propter ea quod feminas in primis constat ad Iudaicam religionem inclinasse, quibus σεβομέναις γυναῖξί καὶ εὐσχημόσι etiam alias Iudaei abutebantur ad Paullum Antiochia exturbandum Act. XIII, 50. Atque propter hoc Lucae silentium, qui tamen satis accurate de-

clarat

destructionis rei publicae Iudaicae atque templi Hierosolymitani. i Petr. III, 7. 8. 17. coll. Matth. XXIII, 6. 13. 14. 12. 8. 9. ad gentes pertinet, quam potius ad Christianos de Iudaeis. Sed aequae ad eos, qui nuper inter Iudaeos Profelyti fuerant. Quod vbi admittitur, ratio praecipua eorum, qui ad gentes scripsisse Petrum comminiscuntur, statim conuellitur. Namque de his Profelytis maxime dici poterit id quod est i Petr. III, 3. & c. II, 10. coll. Rom. VIII, 24 sq. atque ita aperitur cur Petrus eos dicat i Petr. I, 22: τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἠγωνίστας ἐν τῇ ὑποκρίσει τῆς ἀληθείας, plane vt Petrus de iisdem pronunciat Act. XV, 9: Deum καθάρισμα τῆ πίσεως τὰς καρδίας αὐτῶν.

C

clarat quo de genere illi a Paulo e Theſſalonicenſibus Chriſto conciliati fuerint, vereor vt ii recte ſentiant qui velint vtramque ad Theſſalonicenſes epistolam Chriſtianiſ de gentibus inſcriptam eſſe. Nam etſi 1 Theſſ. I, 9. profiretur Paullus: eos ad Deum ab idolis reuerſos deum immortalem & verum colere, itemque eos, vt quibuſdam videtur, τὰ ἔθνη appellat 1 Theſſ. II, 16; non tamen Theſſalonicenſes illo in loco τὰ ἔθνη appellantur, nec, ſi ita appellaeſſet, ſtatim intelligerentur gentes proprie ita dictae, cum ipſo hoc nomine ſaepe de gentibus Proſelyti ſignificentur, vt ſupra diximus, qui quidem vere dici poterant idolis relictis Deo immortali fidem dediffe. Sed ſit ita ſane, fuerit in loco cap. I. allocutus Chriſtianos de gentibus: non magis ſequitur, quod illi volunt, quam: epistolam ad Romanos non praecipue ſcriptam eſſe in vſum Chriſtianorum de Iudaeis, quoniam ibi c. XI, 13. τὰ ἔθνη planiſſime alloquitur. Non proſecto credibile eſt, cum plerique certe inter Theſſalonicenſes ad Chriſtum adducti de Iudaeis aut Proſelytis fuerint, id quod Lucas ſatis prodidiſſe videtur, iis omnibus neglectis, Paullum ad paruam gregem de gentibus, ſi quidem tales ibi probantur Euangelium, ſcripturum fuiſſe. Quare vel omnes Chriſtiani iſtius vrbis vel plerique Chriſtiani de Iudaeis fuerint.

§. XIII.

Alterum, quod Paullus confirmat de Ebraeis ſuis eſt cap. X, 32. 33: quod fuerint *ὀνειδισμοῖς τε καὶ θλίψεσι θεατριζόμενοι καὶ κοινωνοὶ τῶν ἔτους ἀναστρεφόμενων γεννηθέντες*, qui etiam tulerant *μετὰ χαρᾶς τὴν ἀσπαρῆν τῶν ὑπαρχόντων*. Forte, in ſacris certe ſcripturis, nullos reperias quibus hoc magis tribui poſſit quam Macedonicis Chriſtianiſ, ac Theſſalonicenſibus in primis. In Actis Apoſtolorum, vbi Lucas (c. XVII, 5) narrat ſeditionem Iudaeorum aduerſus Chriſtianos, eos refert Iafonem adioſque Chriſtianos (v. 6) ad vrbi praefectos traxiſſe & ſeditionis aduerſus Caefarem accuſaſſe; hi quidem maxime erant *θεατριζόμενοι* h. e. publico ſpectaculo obiecti.

obiekti. Neque Iason dimittebatur cum ceteris nisi postquam satis dederant (v. 9). Quo modo? non quidem commemorat Lucas, sed ut erant isti iudices auri admodum cupientes, nihil probabilius quam eos iudicatum solum satis accepisse. Sed sequente nocte cum Paullum isti Christiani statim ex vrbe dimississent, ut Iudaeorum furorem effugeret, videntur iudices cum illis ex sponso egisse atque diripuisse bona; forte etiam nouus furor accessit Iudaeorum, qui voti sui non compotes facti, elapsó Paulo, tanto magis incensi erant in Christianos. Certe posthaec Iasonem reperio Rom. XVI, 21. extra patriam cum Paulo & aliis Act. XX, 4. commemoratis. Ac ipse Paullus multus est in horum Christianorum laudibus vel ab hac parte celebrandis. In epistola II. ad Corinthios c. VIII, 2. quantis laudibus effert Macedonum liberalitatem, qui, quamuis multas essent aduersitates experti (ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως) tamen valde gaudebant, & maxima paupertate pressi (τῇ κατὰ βίβας πτωχεία) eximie liberales erant! Ipsi autem in epistolis ad Thessalonicenses quam istas eorum laudes frequentat! *Similes facti estis mei & Domini eo quod probaueritis doctrinam* (Euangelicam) plurimis sub aduersitatibus, cum gaudio Sp. S. (cap. I, 6); *similes facti estis Ecclesiarum Dei Christianarum in Iudaea; nam eadem ipsa vos quoque passi estis a popularibus vestris quae illi* (Christiani) *a Iudaeis* (c. II, 14). *Nos ipsi laudamus vos in Ecclesiis Dei a patientia vestra & constantia in omnibus, quas sustinetis, vexationibus & calamitatibus* (2 Theff. I, 4).

§. XV.

Quam porro liberalitatem magnitudinemque beneficentiae laudat in Ebraeis Paullus sic ut nec dubitet dicere (Ebr. VI, 10): *non ita iniustum fore Deum ut immemor sit beneficentiae vestrae* (*) & *soliciti*

(*) Ἐργον haud dubie beneficentiam complectitur s. bene facta, quod vel ex quae sequuntur, docent. Eodem sensu, si quid video, est Phil. I, 6. vbi
C 2 con-

solicitè amoris quem demonstrastis erga religionem eius^(*), eo quod commodaueritis sanctis atque adhucdum commodetis: eam igitur alibi ita tribuit Christianis Macedonicis & Thessalonicensibus, ut nulli generi Christianorum magis. Modo commemorauimus quae ea de re scripsit 2 Cor. VIII, 2 seqq.; Philippenses eodem nomine celebrat Phil. III, 15. Et, quem ad modum Thessalonicenses ab amore laudat erga alios 2 Theff. I, 3. 1 Theff. III, 10, ita omnino iisdem, quibus in loco ad Ebraeos citato, verbis vitur in praedicanda Thessalonicensium liberalitate. Nam in illo loco τὸ ἔργον mentionem fecerat καὶ τὸ κόπον τῆς ἀγάπης; plane sic 1 Theff. I, 3 commemorat τὸ ἔργον τῆς πίστεως, beneficentiam a fide profectam (ut Philem. 6 κοινῶν τῆς πίστεως, cf. Gal. V, 6.) καὶ τὸν κόπον ἀγάπης. Quod ἔργον πίστεως perinde Thessalonicensibus tribuit 2 Theff. I, 11, cuius loci sententia haec videtur esse: *Semper oramus pro vobis, ut Deus noster vobis det beneficium* (beatitatis sempiternae cuius spem fecit in Evangelio) *& perficiat virtute (sua) beneuolam beneficentiam (vestram) & liberalitatem a fide profectam.* Quem sensum verum esse non dubito, quamquam solent hunc locum in aliam partem interpretari. Namque ut ἔργον πίστεως hoc sensu est multis in Paullinis locis, quae paullo ante proferebamus, ita ἀγάθωσύνην de beneficentia dici omnes concedunt, esse autem non Dei sed Thessalonicensium in alios beneficentiam intelligendam & illa coniunctio cum ἔργω πίστεως suadet & commemoratio amoris erga alios v. 3, & illud: πληρώση quod idem est cum ἐπιτέλειη Phil. I, 6 & alibi. Εὐδοκίαν porro de beneuolentia dici praesertim in bene faciendo

confidit Paullus fore ut qui (inter Philippenses) coeperit bene facere idem illud conficiat; namque illum sensum & locum similis confirmat 2 Cor. VIII, 6 vbi ἐπιτέλειη τῶν ἔργων nihil aliud est nisi: conficere negotium colligendorum beneficiorum coll. v. 10 & 11, & ipse contextus, cum Philippenses laudasset Paullus v. 5: ἐπὶ τῇ κοινῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, a liberalitate erga Euangelium, ut Rom. XV, 26. 2 Cor. VIII, 4. VIII, 13 &c., id quod plerique interpretes agnoscunt. Adde Gal. VI, 10.

(*) Τὸ ἄνωμα Θεῶν est religio diuina. Ita saepe in Actis Apostolorum. Phil. I, 5. erat κοινῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Philem. v. 6 κοιν. εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν.

faciendo vix opus est doceri; certe hoc sensu est Rom. XV, 27, vt *εὐδοκία αἰγαθ.* possit esse: beneficentia a benevolentia profecta. Ac Deo hoc tribui quod is promptos reddat homines ac paratos ad bene faciendum, satis constat vel e 2 Cor. VIII, 1. vbi liberalitatem Macedonum Paullus appellat *gratiam Dei datam Ecclesiis Macedoniae*, deque promptitudine Titi ad fructus huius liberalitatis colligendos v. 16 ita loquitur, vt *studium in animum eius a Deo iniectum* dicat. Denique *κλησις* apud Paullum saepe est de beneficio Dei quocunque; vt Rom. XI, 29 coniungitur cum *χαρισμασι, Beneficiis*, & paullo post v. 31. *ἐλεειθένης* vocatur qui paullo ante *κλητῶν*; maxime de beneficio beatæ immortalitatis, ad quam inuitat eiusque spem facit Euangelium, vt Phil. III, 14 *τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως*, & Ebr. III, 1. *κλησις ἐπουράνιος, caeleste beneficium*, quod c. II, 10 erat *δόξα & σωτηρία* quam duce Iesu Christo consequemur. Quam significationem inesse huic verbo in eo, quem illustramus, loco, versus 10 clare confirmat, vbi Dominus proponitur tamquam venturus, vt *illustretur* s. demonstrat virtutis beneficentiaeque suae magnitudinem *in sanctis suis* remunerandis *admirabilemque se demonstrat in omnibus qui credunt, eo quod doctrina nostra vobis proposita*, quae illam beatitudinis sempiternae mercedem promittit, *certa reperiaturo illo die* s. tempore eo quo Christus cuius reddet pro factis suis. *Πιστευθῆναι* hoc sensu est Rom. III, 2. vt ibi etiam alii viderunt; alibi fere e. c. 1 Cor. I, 6. est *ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν τὸ μαρτύριον τῆ Χριστοῦ*.

§. XVI.

Neque vero, si a Christianis in Galatia discesseris, quoad Paulli epistolis constat, vlli Christianorum Ecclesiae maius periculum imminebat verendumque erat ne a Christi Euangelio descisceret, quam Ecclesiae Thessalonicensium. Namque hoc metu ductus Apostolus miserat Timotheum *eis τὸ ἐπελεξαι αὐτὸς καὶ παρακαλέσαι αὐτὸς περὶ τῆς πίστεως* vt eos confirmaret admoneretque de con-

stantia in fide (*). Atqui hoc ipso consilio Paullus omnem scripsit epistolam ad Ebraeos ut eos confirmaret ne fidem Euangelio datam desererent. Cuius epistolae quaedam loca conferamus, cum illa Thessalonicensibus scripta, ut, quanta similitudo utramque intercedat, clarius intelligatur. Dixerat Apostolus verbis iis quae modo adhibuimus: debuisse Timotheum eos παρακαλέσαι περί τῆς πίστεως; vicissim rogat Ebraeos (cap. XIII, 22) ut suscipiant: λόγον τῆς παρακλήσεως, quae admonitio in epistola proposita haud dubie ad constantiam suadendam pertinebat. Tum statim subiicit (v. 23) scitis Timotheum profectum, quocum, ut subito redierit, videbo vos; plane ut in illo loco & Timothei & admonitionis & sui ad ipsos proficiscendi propositi (v. 11) mentionem iniecerat. Iam verebatur Paullus ne quisquam Thessalonicensium, commoueretur istis, quibus obnoxii erant, aduersitatibus (τῶ μηδένα σάλευσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις, inquit 1 Thess. III, 3); id quod ipsum metuebat quoad Ebraeos, quos cum laudasset quod moderate tulissent opprobria & iacturam bonorum (c. X, 34), nolite, addit v. 35, abinere fiduciam, quae magnam secum fert mercedem; nam patientia opus habetis, ut, faciendo quae Deus vult, obtineatis quod vobis promissum est. Idem illud erat 1 Thess. III, 3: ipsi enim scitis, quod huic ipsi (fato) addicti simus (eis τῶτο κείμεθα), nempe ut sustineamus aduersa, qua via & alibi dicit Christianos, duce Christo, ad caelestia gaudia tendere, Rom. VIII, 17. 18. 29. 30. Ebr. II, 10. Hac ipsa de causa Ebraeos iubet (c. XII, 2sq.) respicere fidei s. constantiae auctorem ac remuneratorem Iesum (πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, V. l. c. ex Ebr. II, 10), ut qui etiam aduersa sustinisset, contempsissetque ignominiam, quem deberent animo contueri (ἀναλογίζεσθαι) ne animo fracti animum desponderent (ὡς μὴ κάμνῃτε ταῖς ψυχαῖς ἐκλυόμενοι); neque enim eos adhuc, pugnando ad-

(*) De illa constantia interpretor τὴν πίσω, ut 2 Thess. I, 4 ubi πίσις ἐν τοῖς διωγμοῖς aliter intelligi non potest; idemque docent in loco nostro ea quae sequuntur v. 3: ne commoneamini istis aduersitatibus.

aduersus peccatum (h. e. illecebras ad deficiendum a Christi religione, quo sensu est c. X, 26) *ad sanguinem restitisse* (ita vt vel vitae periculum subierint) & *oblitos esse admonitionis* (τῆς παρακλήσεως): *quem amat Deus eum castigat*. Sic pariter verebatur de Thessalonicensibus i Theff. III, 5: μήπως ἐπέρασαν αὐτὰς ὁ πειράζων. h. e. ne ab aduersariis suis sollicitarentur ad fidem prodendam atque cupiebat v. 10 καταρτίσαι τὰ ὑπερήματα τῆς πίστεως περ-
ficere quae illorum fidei deerant.

§. XVII.

Spero me planum fecisse: quod ea, quae Paullus de Ebraeis suis prodidit, planissime asseri Thessalonicensibus, aut si mauis, Macedonicis Christianis possint, ad eosque, quoad praecunte historia sacra iudicare licet, ista Ebraeorum conditio magis quam ad aliam vllam referri debeat. Iam si quis nostram de istis Ebraeis deque tempore, quo ad eos scripserit Paullus, sententiam admiserit, multa intelliguntur, quibus vel Apostolorum Ecclesiarumque Apostolicarum historia vel sacrae scripturae loca illustrari possint; quae quidem hanc habent vim, vt ipsi sententiae nostrae firmitatem addere videntur. Namque *primum* maxima est istius ad Ebraeos epistolae similitudo cum priore ad Thessalonicenses, quae vnde nata fit? vix potest intelligi, nisi ad eosdem Christianos vtramque scriptam agnoscamus. Ea vt perspicue appareat, ex vna sectione XIII. illius epistolae cum III & V. prioris ad Thessalonicenses collata breuem indicem adiucimus:

Ebr. XIII.

- v. 1. ἡ φιλαδελφία μενέτω.
2. τῆς φιλοξενίας, τῆς ἐν-
16. ποίσεως κ. κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε.

i Theff.

- III, 9. περὶ τῆς φιλαδελφίας ἔχρεϊαν ἔχετε γράψεν κ. τ. ἐξ.
10. ἀγαπάτε πάντας τ. ἀδελφούς. παρακαλέμεν δὲ περισσεύειν μᾶλλον.

4. Τίμος

Ebr. XIII.

4. Τίμιος ὁ γάμος καὶ ἡ κόρη
ἀμίαντος· πόριος δὲ καὶ μοιχὰς
κρινεῖ ὁ Θεός.
5. ἀφιλόργυρος ὁ τρόπος, ἀρμύ-
μενοι τοῖς παρῶσιν.
7. μνημονεύετε τῶν ἡγεμένων ὑ-
μῶν. 17. πέμθετε τοῖς ἡγεμ.
ὑμ. κ. ὑπέμπετε.
9. διδασκαίς ποιήλους κ. ξέναις
μὴ περιφέρεθε.
15. ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως
διαπαντός τῷ Θεῷ.
18. προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.
20. ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης καταρτίσαι
ὑμᾶς ἐν παντί ἔργῳ ἀγαθῷ
κ. τ. λ.

I Theff. III.

- 3 seq. Τῶτο ἐστὶ θελημα τῷ Θεῷ —
ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορ-
νεύσεως. κ. τ. λ.
6. ἐκδικος ὁ κύριος περὶ πάντων
τέτων.
- II, 12. Φιλοτιμείθε ἡσυχάζειν
καὶ πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργά-
ζεσθαι — ἵνα μηδενὸς χρεῖαν
ἔχητε. Add. 2 Theff III, 11. 12
- V, 12. 13. Ἐρωτῶμεν ὑμᾶς εἰδέ-
ναι τὰς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν καὶ
προϊταμένους ὑμῶν ἐν Κυρίῳ κ.
τ. λ.
- III, 13 seq. exemplum est istius
vitii.
- V, 18. ἐν παντί εὐχαριστεῖτε τῷ
το γὰρ θελημα τῷ Θεῷ.
25. προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.
23. ὁ Θεὸς τ. εἰρήνης ἀγιασάσαι ὑ-
μᾶς ὁλοτελεῖς κ. τ. εἴ.

§. XVIII.

Alterum, quod ex admiffa sententia nostra facilius intelli-
gitur, hoc est: cur inter omnes epistolas hanc ad Ebraeos primam
scripserit? nam primam esse supra collegimus (§. VIII), & si quis
contra dicit, is vellem ut idoneis rationibus vincat aliam e Paulli-
nis epistolis nostram aetate superare. Nempe cum Paullus susce-
pisset munus Apostoli inter gentes atque etiam ei conuenisset cum
ceteris summa auctoritate conspicuis, ut illi circumcisos curarent
ad Christum adducendos, Paullus ad gentes proficisceretur (Gal.
II, 9):

II, 9.): turbae eae, quae controuersiam super lege circumcisionis gentibus iniungenda excitauerant, perpetuaque studia Iudaizantium, qui, repudiata auctoritate Apostoli decreti Act. XV, tamen illam legem gentibus volebant obtrudere, Paullum in eam conuiciebant necessitatem, vt argumentis perspicuis Euangelicam libertatem praestantiamque nouae legis Christianae prae vetere Iudaica confirmandam putaret; certe numquam magis quam in hoc ipso recenti quasi seruore disputationis opus erat tali demonstratione. Cum igitur, isto quidem tempore, Paulo in primis commissa esset cura Euangelii per Asiam occidentalem Graeciamque propagandi (id quod ex Apostolorum Actis constat) binas epistolas scripsit, quae essent pro basi in omni institutione sua, ad Christianos Graecos vnam, h. e. nostram Ebraeis inscriptam, alteram ad Christianos a Iudaizantibus in Asia maxime vexatos h. e. epistolam ad Galatas. Neque in vlla alia, quae serius scripta est, ita copiose atque ex instituto illam controuersiam paene ad omnes ecclesias pertinentem tractauit. Ac vel propter ea nostra in epistola videtur mentionem eius Ecclesiae neglexisse cui scripserat, secus quam in ceteris omnibus fecit, quod omnino omnibus Apostolicis Ecclesiis eam destinarat, quibus quidem maximum a Iudaizantibus periculum imminere videret.

§. XVIII.

Quodsi porro quaereretur: cur, cum pluribus Ecclesiis destinauerit illam ad Ebraeos epistolam, tamen orationem in primis retulerit ad Thessalonicenses, vt nobis supra videbatur? causam arbitror esse in promptu. Nam *primum* haec Thessalonicensium Ecclesia in ipsa Macedonia metropoli quasi erat mater ceterarum per Graeciam vniuersam, vt Paulus claris dicit verbis I Thess. I, 8: *ὡς ἡ μὲν ἐξήχηται ὁ λόγος τῆς Κυρίας ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ Ἀχαΐᾳ.* Quare his missa epistola commodius poterat cum ceteris Graeciae Ecclesiis communicari. *Deinde* nullam inter Graecos Ecclesiam maiori furore exagitauerant Iudaicae legis studiosi; quibus ita non

satis visum fuerat Apostolum cum suis Thessalonica expulisse, vt etiam eum Beroeam persequerentur ibique commouerent multitudinem (Act. XVII, 13.) cogereque statim vel Beroea discedere (v. 14.) *Denique* multarum rerum cogitatio sollicitum habebat Apostolum, vt, qui Thessalonicenses non ignorabat maxime periclitari, in primis prouideret ne ista res publica aliquid detrimenti caperet. Videtur autem ista sollicitudo habuisse praecipue duas causas; ceteras enim superius propositas (§. XIII & XVI) repetere non lubet. *Primam* hanc, quod, etsi Thessalonicenses magno applausu exceperant traditam a Paulo doctrinam Euangelii (1 Theff. 1, 6 seq. II, 1 seq. 13); tamen non videntur eam subtilius inuestigasse, nec, quod quidem a Iudaeis fieri debebat, contulisse cum sacris scripturis, vt firmior esset & contra dubitationes magis munita veritatis Euangelicae conscientia. Namque Lucas cum laudet Beroeenses haecenus (Act. XVII, 11.), quod fuerint εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονικῆ, *magis liberales quam Thessalonicenses vt qui non modo prompto animo doctrinam Christianam acciperent, sed etiam quotidie requirerent in scripturis, vtrum ista, quae dixerat Paullus, ita se haberent, profecto hoc studium neglectum a Thessalonicensibus prodit* *). Sunt etiam eius rei vestigia quaedam in ipsis Paulli ad eos epistolis veluti 1 Theff. III, 13 seq. 2 Theff. II, 1 seq. per quae declaratur eos prope a superstitione ac credulitate abfuisse, vt vel propter ea opus fuerit admonitione Apostoli (1 Theff. V, 21): Πάντα δοκιμάζετε! Quod ipsum vitium notat in Ebraeis (c. V, 11 seq.): *Segnes ad audiendum facti estis. Nam cum per tempus deberetis magistri esse, rursum necesse est vt doceamini quae sint prima initia doctrinarum diuinarum, & ii redditi estis quibus opus sit lacte, non solido cibo, vt qui sitis expertes subtilioris doctrinae* **)

acueritis

*) Scio interpretem veterem latinum, vt quidem nonnullis videtur, sequacibus aliis, has laudes his tribuisse, non Beroensibus, quam interpretationem copiose tuetur OEDERVS *Animaduers.* SS. 98. & 99. p. 677 seq. sed ea nihil contortius. Nec tamen eius vacat argumenta excutere, nec ea verendum est vt multos in eius partes pertrahant.

**) Ita cum GROTIO & aliis accipiendum, suadente contextu v. 14 & c. VI, 1. Ebraeorum כִּי הָיִיתֶם מִלְּפָנָי עֲרֵבִים עַל הַדְּבָרִים הַנֵּלֵךְ, modo διαισθητός, modo δεικνύμενος.

vitis sensus ad bonum malumque discernendum. Id quod per contextum maxime dicit de neglecto studio scripturarum (v. 11.); vt vel sic eadem appareant in Thessalonicensibus, quae erant in Ebraeis. Quae cum ita essent, facile, quae causa fuerit sollicitudinis Apostolicae, intelligitur. Sed erat forte etiam *alia* in cunctatione Timothei, quem Beroeae relictum Paullus voluerat quam primum Athenas ad se venire (Act. XVII, 15.). Quem oportet diutissime Beroeae haesisse, cum Paullus, qui parum temporis Beroeae confecerat (v. 14.), tamen Athenis ferre diutius desiderium Thessalonicensium non posset (1 Thess. III, 1.), & propter periculum Thessalonicensium (quod vel e Timothei reditu propter ipsum hoc periculum protracto colligere & vero etiam in primis e Timothei literis discere potuit,) mandata, id quod supra docuimus (§. VII.), perscriberet ad Timotheum vt eorum fidem s. constantiam dispiceret (1 Thess. III, 5.). Qui cum confirmandi essent, ne fidem Euangelio datam proderent, forte ipsam hanc epistolam ad Ebraeos misit ad Timotheum Beroeam, vt ea ad illam confirmationem vteretur. Certe tum posset intelligi, cur in vetere subscriptione sit: missam esse ad Ebraeos epistolam per *Timotheum*; nec mihi quidem inepti videntur THEODORETUS et alii qui verba c. XIII, 23 ita interpretantur, vt Paullus Timotheum dixerit eum, per quem profectum illam epistolam miserit. Ac forte propter ea Paullus epistolae non addit nomen suum, quod eius auctor vel per modum, quo Paullus aduersus Iudaismum Thessalonicae doctrinam Christi asseruerat, satis in hac ipsa epistola conspicuum, vel e Timothei narratione facile agnosci posset. Sed cum existerent qui auctoritate sermonum literarumque Paulli ad somnia Thessalonicensibus persuadenda abuterentur (2 Thess. II, 2), quo forte traxerunt verba epistolae nostrae c. X, 25 extr., posthaec in omnibus epistolis suis addidit nomen suum manu quidem sua, eoque signo voluit dignosci omnes epistolas a se scriptas: V. 2 Thess. III, 17. Quamquam & omittere potuit in epistola nostra nominis sui auctoritatem, ne si epistola in furiosorum Iudaeorum manus incideret, sui nominis inuidia ipsius epistolae auctoritas labefactaretur. Nam

Paulli

Pauli nomen in primis odisse videntur furiosi apud Thessalonicenses Iudaei, vt colligi posse videtur ex Act. XVII, 14, vbi, statim vt illi seditionem Beroae fecissent propter doctrinam Dei ibi a *Paullo* propagatam (v. 13), Christiani *Paulum* dimiserunt ex vrbe, saluis Sila & Timotheo, contra quos nihil tentasse Iudaei videntur, cum satis diu ibi post *Pauli* expulsionem fuerint.

§. XX.

Postremo si scripta est epistola nostra ad Thessalonicenses, & prius quidem quam vtraque prae se ferens ipsum nomen Thessalonicensium; ratio reddi potest cur in hac vtraque longe melius sentiat de Thessalonicensibus quam tum cum ad eos nostram scriberet. Quod ita constituendum videtur. Maximum periculum, in quo Thessalonicenses propter animum varium nec exercitatione in doctrinis diuinis subtilius considerandis satis confirmatum, itemque propter continuas easque grauissimas vexationes a Iudaeis Christo contrariis, versabantur, *Paulum* ad epistolam nostram Thessalonicensibus perscribendam *Timotheum*que eorum confirmandorum causa ablegandum impulerat. E quo reduce cum didicisset Thessalonicensium Christianorum constantiam, amorem, memoriam *Pauli* conseruatam eiusque videndi vehementissimam cupiditatem (1 Theff. III, 6.), liberatus sollicitudine atque animaduertens vera fecisse Deum quae sperauerat Ebr. VI, 9 sq.; Thessalonicensibus ita priorem epistolam scripsit vt & gratularetur laudaretque eos & ad tuendam constantiam eiciendaque, quae reliqua erant, vitia adhortaretur. Sed cum voluisset *semel* atque *iterum* (1 Theff. II, 18) Thessalonicam proficisci h. e., vt videtur, & illo tempore quo epistolam ad Ebraeos, & eo, quo priorem ad Thessalonicenses scripserat, ramen impeditus furore ac insidiis Iudaeorum (quas l. c. *Satanam* dicit, vt Christus Petrum Matth. XVI, 23 & aiibi *Paulus* Rom. XVI, 20. coll. v. 17 & XV, 31.): rogat Deum ac Iesum Christum (1 Theff. III, 11): vt mox viam sibi paret ad eos; quamquam ante tempus, quod Lucas commemorat Act. XX, 2. 3. eo non videtur venisse. Ceterum, quid ex illa, quam declarauimus, sententia colligi possit ad auctorem epistolae ad Ebraeos & linguam, qua scripta sit, reperiendam, nullo negotio, qui volent, viderint.

ERRATA.

P. 3. lin. 1. lege X, 34. p. 6. lin. 3. lege Ebr. XIII, 24. ib. lin. 7. lege 1 Cor. XVI, 19.
p. 7. lin. 25. lege 1 Cor. 16, 15. p. 10. lin. 31. lege urbem, p. 12. lin. 15. lege iudex.
p. 14. lin. 3. (*Annal. Polit. Eccl.* adde: T. I. p. 649.)

Tb 2205

ULB Halle

3

004 716 302




f

R

no







DE
T E M P O R E
QVO SCRIPTA FVERIT
EPISTOLA PAVLLI AD EBRAEOS
DEQVE EBRAEIS QVIBVS SCRIPSERIT
CONIECTVRA
AD ILLVSTRANDA QVAM PLVRIMA LOCA N. T.

EAM
SVB PRAESIDIO
VIRI SVMME VENERANDI EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMI
IOANNIS AVGVSTI NOESSELT
SS. SCRIPTVRARVM DOCTORIS ET PROFESSORIS
PVBL. ORDIN.
FAVORIS AC PRAECEPTORIS
OMNI PIETATE AETERNVM COLENDI
AD D. II. AVGVSTI
PVBLICE AD DISPVTANDVM PROPONET
CHRISTIANVS FRIDERICVS ZASCHE
FREISTADIO - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
FORMIS HENDELIANIS. A. C. MDCCLXVIII.